late homines uitulos adorantes.
Id circo erunt quasi nubes matuti-
na. Et sic ros matutinus praeteriens sic
puluis turbine raptus ex area et
sic fumus de fumario. Ego autem dominus
deus tuus de terra aegypti. Et deum
absque me nescies. Et saluator
non est praeter me. Ego cognoui te
in deserto in terra solitudinis iux-
ta pascua sua. Et adimpleti sunt
et saturati et leuauerunt cor
suum et obliti sunt mei. Et ero eis
quasi leaena quasi pardus in uia assi-
riorum occurram eis quasi ursa
raptis catulis et dirumpam interio-
ra iecoris eorum et consumam eos
ibi quasi leo bestia agri scindet
eos. Perditio tua israhel tantummodo in
me auxilium tuum. Ubi est rex
tuus maxime nunc saluet te in
omnibus urbibus tuis. Et iudices tui
de quibus dixisti da mihi regem et
principes. Dabo tibi regem in furo-
re meo et auferam in indignatione mea.
Conligata est iniquitas effraim
absconditum peccatum eius dolores
parturientis uenient ei ipse filius
non sapiens. Nunc enim non sta-
bit in contritione filiorum. De
manu mortis liberabo eos et de
morte redimam eos. O mors ero mors
tua morsus tuus ero inferne con-
solatio abscondita est ab oculis meis
Quia ipse inter fratres diuidit. adhuc

Et urentem uentum dominus de deserto ascen-
dentem et siccabit uenas eius et desola-
bit fontem eius et ipse diripiet thesaurum
omnis uasis desiderabilis. Pereat
samaria quoniam ad amaritudinem conci-
tauit deum suum. In gladio pereant
paruuli eorum elidentur et fetae eius
scindentur. Conuertere israhel ad dominum
deum tuum quoniam corruisti in iniquitate tua.
Tollite uobiscum uerba et conuertimi-
ni ad dominum. Dicite ei omnem aufer ini-
quitatem et accipe bonum et reddemus
uitulos labiorum nostrorum. Assur non
saluabit nos super aequum non ascendi-
mus nec dicemus ultra dii nostri opera
manuum nostrarum. Quia eius qui in te est
misereberis pupilli sanabo contritiones
eorum. diligam eos spontanee quia auer-
sus est furor meus ab eis. Ero quasi ros is-
rahel germinabit quasi lilium. Et e-
rumpet radix eius ut libani ibunt ra-
mi eius et erit quasi oliua gloria eius.
Et odor eius ut libani conuertentur se-
dentes in umbra eius. bibent tritico.
Et germinabunt quasi uinea memori-
ale eius sicut uinum libani; Effraim
quid mihi ultra idola. Ego exaudiam et dirigam
eum. Ego quasi abietem uirentem ex
me fructus tuus inuentus est. Quis sa-
piens et intelleget ista intellegens et sci-
et haec. Quia rectae uiae domini et iusti am-
bulabunt in eis praeuaricatores uero corru-
ent in eis;; Explicit osee propheta

Incipit iohel liber propheta

License: public_domain – München, Bayerische Staatsbibliothek, Clm 29265(7, 4r – Old Testament
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-whvz/10120/73671)